

ab aliis seorsim et tanquam singularis censura accipitur; inter quos tamen aliqui eam extenuant, ac infra illam, quæ sapit hæresin, diminuunt, voluntque eam dici, de qua tantum fundamentum adest suspicandi hæresin vel errorem: aliqui vero extollunt et proximam post erroneam ponunt, dicuntque eam, quæ opponitur doctrinæ sacræ non certo quidem et communi consensu, sed probabilissime et juxta plerosque in Scriptura aut traditione contentæ. *Proxima hæresi vel errori* est, quam quidem non omnes, plures tamen et graves Doctores cum gravi fundamento dicunt esse hæreticam vel erroneam; quia ipsum proximitatis vocabulum maximam indicat propinquitatem, quæ aliter explicari nequit. *Sapiens hæresin vel errorem* est, quæ sive propter verba aut materiam, sive propter locum, tempus aut personam, sive propter circumstantias alias præbet fundamentum *probabiliter* judicandi, aliquam hæresin vel errorem esse in auctore, ex qua vel quo talis propositio procedat.

228. R. III. Propositio *scandalosa* universim dicitur quæ affert occasionem ruinæ vel facilitatem cadendi in hæresin, errorem, vel alia fidei opposita: magisque specialiter dicitur, quæ in individuo et praxi damnat bonos fidelium mores piasque consuetudines a Prælati Ecclesiæ permissas et communi fidei instructione introductas. *Male sonans* est, quæ duos habet sensus proprios, alterum Catholicum, alterum hæreticum vel quacumque censura damnabilem, sed in sensu damnabili frequentius sumitur, et nihilominus absque explicatione vel exceptione profertur. *Piarum aurium offensiva* est, quæ repugnat communi fidelium existimationi, in quam ex pietate doctrinæ sacræ conformi inducti sunt. *Simplicium mentium seductiva* est, quæ sub specie et velo pietatis ac doctrinæ sanæ seducit simplices animos a fidei doctrina. *Seditiosa* est, quæ in Ecclesia vel populo Dei viam sternit ad negandam vel diminuendam obedientiam, maxime Ecclesiæ, Pontifici, Conciliis ac Prælati circa res fidei ab iis propositas credendas debitam. *Temeraria* est, quæ communi Patrum sensui opponitur, aut sine sufficienti fundamento simili Doctorum consensui repugnat in materia theologica seu in rebus, quæ ab humana ratiocinatione et illatione ex principiis naturalibus et fidei facta dependent. Hanc *positive* temerariam dicunt, cum alia *privative* temeraria dicatur, quæ quidem Patribus aut Doctoribus, eo quod hi rem nec in communi nec in particulari tractarint, non contradicit, temere tamen ac imprudenter sententiam pronuntiat: sed postremam plerique confundunt cum *improbabili*, quæ tamen nota, nisi aliquid ex aliis supra enarratis participet, inter censuras theologicas non refertur.

DISPUTATIO IV.

DE SPE.

CAPUT I.

DE NATURA ET OBJECTO SPEI.

ARTICULUS I.

QUENAM SIT NATURA ET NOTIO SPEI THEOLOGICÆ?

229. *Nota.* Spes *proprie* talis, sed in genere, juxta D. THOMAM 1. 2. q. 40. a. 2. in 0. describitur esse *motus appetitivæ virtutis, consequens apprehensionem boni futuri, ardui, possibilis adipisci*. Ex hoc Theologi plerique pro natura spei cognoscenda varias in objecto conditiones, et in actu formalitates exigunt. Conditiones quidem sunt, ut objectum 1º sit *bonum* aliquod; quia spes tanquam actus prosecutivus non nisi bonum pro objecto habere potest, cum malum fugæ, non vero prosecutionis objectum sit: 2º *absens*, seu quod necdum habetur; cum stulte speretur, quod jam possidetur, nisi forte ejus præsentia possidentem lateat per errorem: 3º *arduum* seu cum aliqua difficultate in obtinendo conjunctum; sicut enim non timetur malum, quod nullo negotio declinare vel depellere licet; ita nec sperare quis dicitur res minimas, aut facillimas, quas obtinere statim, ut voluerit, in potestate habet: 4º *possibile* obtentu, et probabiliter obtinendum: quia quod quis cognoscit a se vel nullatenus obtineri posse, vel certo non obtentum iri, id quidem desperare potest, sperare autem nisi imprudenter nequit; cum actus spei prudenter conceptus non possit ferri in impossibile, vel in aliquid, quod certo cognoscitur non esse obtinendum: *Possibile autem*, ut inquit D. TH. 2. 2. q. 17. a. 1., *est nobis quid dupliciter: uno modo per nosmetipsos, alio modo per alios*. His vero objecti conditionibus quadruplex etiam formalitas in actu spei correspondet.

Et quidem ratione *primi*, amor seu complacentia in bono sperato requiritur, quia, ut S. TH. 2. 2. q. 17. a. 7. notat, spes et omnis appetitus motus ex amore derivatur: ratione *secundi*, desiderium; tum quia ad eandem virtutem aut facultatem pertinet amare bonum, et amatum desiderare: tum quia spes, ex communissima acceptione, motum voluntatis tendentis ad boni absentis consecutionem sonat: ratione *tertii*, erectio animi seu efficacia volitionis et conatus voluntatis, non obstante difficultate prosequendi bonum et

media ad illud consequendum adhibendi; cum enim spes nec objecti arduitatem, utpote quæ rationem boni non habet, appetat, nec eam etiam fugiat, aut ejus causa ab objecti prosecutione desistat; debet contra illam appetitum erigere, ut verba Trid. Sess. 6. c. 6. innuunt, et confirmare, ut illam contemnat ac superet: atque ratione hujus spes, ut S. Th. 1. 2. q. 25. a. 1. in 0. ratiocinatur, quatenus supra desiderium addit quemdam conatum et animi elevationem ad bonum arduum consequendum, in appetitu irascibili residet, quia animus difficultatibus quodammodo iratus, quibus quasi septum proponitur bonum, stimulat et accenditur ad illas superandas: ratione *quarti*, fiducia seu alacritas animi conjuncta cum certitudine aut quiete saltem et exclusionem timoris inordinati, ne difficultates reipsa non superentur, et bonum desideratum non obtineatur; quia absque fiducia eaquæ prudenter concepta spes in temeritatem vel audaciam degeneraret, vel certe languida foret, ac prorsus excideret. Ex his porro tres posteriores actui spei *essentiales* sunt, amor autem et quidem concupiscentiæ, seu quo amator aliquid ut nobis bonum, vel præsupponitur vel includitur in desiderio tanquam genus in specie.

230. *Dico I.* Actus spei theologicæ est desiderium efficax et fiduciale boni ardui ut a Deo obtinendi.

Prob. Quia per hanc sive definitionem sive descriptionem spei natura et essentielles notæ satis exponuntur; actus spei distinguitur ab omni alio; ratio theologica sufficienter indicatur: nam 1°. *Desiderium* obtinet hic locum generis proximi, quod cum dicat motum appetitus rationalis, spem a passione necessaria ac sensitiva distinguit; cum dicat actum prosecutionis, distinguit a timore; cum dicat extensionem appetitus ad objectum, et a simplici complacentia et a gaudio distinguit. 2°. *Efficax boni ardui* prædicatum proprium et differentiale prius continet, tum quia per hæc vocabula indicatur animi erectio: tum quia per ea spes distinguitur partim a desiderio inefficaci, partim a desiderio simplici seu prosecutione boni absolute futuri, aut futuri sine omni difficultate ad libitum desiderantis. 3°. *Fiduciale* exprimit alterum prædicatum proprium ac differentiale; quia et per hoc postrema formalitas diserte exprimitur, et spes a desperatione non minus, quam a temeritate, audacia et præsumptione distinguitur. 4°. Dicitur: *Boni ut a Deo obtinendi*; per quod ratio actus theologici designatur juxta sententiam D. Th. hic q. 17. a. 1. in 0. dicentis: *In quantum ergo speramus aliquid ut possibile nobis per divinum auxilium, spes nostra attingit ad ipsum Deum, cujus auxilio innititur.*

231. *Dico II.* Habitus spei theologicæ est virtus per se infusa disponens et elevans potentiam ad actus spei supernaturales.

Prob. Spes habitualis *virtus* est; tum quia facit bonum habentem se, juxta illud Ps. 33. 9. *Beatus vir, qui sperat in eo*: tum quia facit opus bonum, utpote honestum, et regulæ morum conforme, ut infra ostendetur. Est *per se infusa*, ad Rom. 15. 13. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo: ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti.* Porro ejusmodi virtutem *disponere ac elevare ad actus supernaturales*, patet ex natura habitus et virtutis, et ex Trid. Sess. 6. Can. 3.

232. *Observe.* Fidem esse virtutem a spe distinctam, satis ostensum est num. 43. et 58. contra Hæreticos fidem in fiducia speciali reponentes. Ab hoc errore quantumvis alieni, Catholici quidam spem faciunt esse vel actum solius intellectus, vel saltem potentiæ hujus non minus, quam voluntatis, sed perperam. Nam licet et hi studeant distinguere actum hunc intellectus a fide, et nos concedamus præmitti judicia de memoratis nuper objecti conditionibus; ex nullo tamen capite spes *actus intellectus* dici potest: non quidem ratione *desiderii*, utpote cujus modus tendendi, scilicet prosecutivus, et objectum formale, nempe bonitas, plane discrepat a modo tendendi expressivo et motivo intellectionis seu veritate: nec ratione *erectionis animi*, utpote quæ actus est appetitus irascibilis generose assurgentis contra arduitatem boni, et oppositus tam timori quam desperationi; qui actus duo postremi cum, omnibus fatentibus, ad voluntatem pertineant, spem quoque illuc referri necesse est; nec denique ratione *fiduciae* aut *firmitatis*, tum quia prior spei formalitas non est intellectualis, sive vivax tantum persuasio aut fides de bono possibili, sed affectiva, et alacris volitio boni illam intellectualem persuasionem præsupponens: tum quia firmitas spei ac certitudo non est formalis, seu affirmandi aut negandi, sed illativa, aut ut S. Th. hic q. 18. a. 4. inquit, participata et competens voluntatis actibus, quatenus his et ad bonum immobiliter ferimur et contra difficultates in eo consequendas erigimur.

ARTICULUS II.

QUODNAM SIT MATERIALE OBJECTUM SPEI THEOLOGICÆ?

233. *Nota.* Objectum spei materiale *principale* esse Deum seu beatitudinem objectivam, communis ac certa est sententia, quam Scriptura manifeste declarat, Genes. 15. dicente Deo: *Ego merces tua magna nimis*; et Matth. 6. adhortante Christo: *Quærite primum regnum Dei*; atque ad Tit. 2. scribente Apostolo: *Exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei.* Eadem constat ex testimonio Patrum, et multiplici ratione, ex qua hæc una sufficiat: Objectum spei nostræ *primarium* est, quod est præcipuum bonum nobis promissum, et ad quod opera nostra omnia ordinantur: tale autem sine omni controversia est Deus et nostra beatitudo; ergo. Controvertitur nihilominus, an beatitudo formalis sit objectum *primarium*, an objectiva connotans duntaxat formalem, an complexum ex utraque? De objecto autem *secundario* quæritur: quænam ad illud bona pertineant? circa quam quæstionem inter Catholicos quidem controversia nulla intercedit: quamvis nonnulla iisdem cum fanaticis illis, quos *Quietistas* vocant, esse possit, qui nihil determinati a Deo desiderandum aut petendum docent; sed omnia voluntati divinæ sic permittenda, ut homo paratus sit vel accipere, si Deus concedat, vel privari, si deneget.

234. *Dico I.* Objectum materiale *primarium* ut quod spei theologicæ est non tantum beatitudo objectiva, sed et formalis, seu complexum ex utraque.

Prob. Per spem attingitur Deus, non solum ut potens nos beare, sed etiam ut actu nos beans; quia idem objectum materiale attingimus per actum, quo speramus Deum nos beatum, ac per actum, quo credimus Deum

de facto beare Sanctos; ergo per spem non solum attingitur Deus, sed etiam id, per quod constituitur nos beatus, quæ est beatitudo formalis.

Conf. Actus spei est procurativus et causativus sui objecti; quia ejus causa omnia fiunt, sicut et ipse fit: sed non est causativus Dei *secundum se*, sed solum Dei ut possidendi; ergo.

235. *Dico II.* Objectum materiale spei theologicæ *secundarium* sunt bona supernaturalia omnia beatitudini subordinata; imo et bona naturalia ac temporalia, quantum hæc ad consequendam beatitudinem conducunt.

Prob. Ad eandem virtutem spectat velle finem et media, *primario* quidem finem, media autem *secundario*; ergo cum spes versetur circa beatitudinem tanquam finem, et hinc illa sit objectum *primarium*; etiam versabitur circa bona supernaturalia, præsertim gratiam divinam et remissionem peccatorum, quæ sunt media necessaria; et circa bona naturalia, si et quantum hæc sunt media conducentia ad beatitudinem; adeoque hæc omnia sunt objectum *secundarium*.

Conf. Spes theologica attingit Deum ut objectum *formale* ac *materiale*: sed quando speratur bonum ut conducat ad beatitudinem, attingitur Deus ut objectum *formale* et *materiale*, quando autem sub hoc respectu non speratur bonum, neque Deus etiam sic attingitur; quia quando amatur bonum ut medium ad beatitudinem, hoc ipso etiam amatur beatitudo, quæ importat Deum ut nobis bonum; et e contrario quando bonum sic non amatur, neque etiam beatitudo aut Deus illo actu amatur; ergo. Dixi: *Bona naturalia, quatenus ad beatitudinem conducunt*; tum quia naturalia bona, secundum se spectata, æque possunt esse impedimenta salutis ac adjumenta; nec illius consequendæ evadunt media, nisi ad eam fuerint a Deo ordinata: tum quia non possunt esse objectum *pertinens* ad virtutem spei, nisi illi conveniat etiam objectum *formale*, quod *partiale* saltem est bonitas Dei respectiva seu Deus ut possidendus.

236. *Dico III.* Utrumque objectum etiam *determinate* sperandum est. Patet ex propp. *Mich. de Molinos* ab Innoc. XI. damnatis, 12.: *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nullâ re debet curam habere, nec de inferno, nec de Paradiso, nec debet habere desiderium propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet.* 14. *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis et electionis, et est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, et non quod divinæ etc.*

Prob. Quæ sunt petenda et roganda a Deo, hæc itidem speranda sunt, tum quia spei est *orare*, ut ex ipsa orationis natura et S. Aug. Enchir. c. 7. constat: tum quia juxta eundem ib. c. 114. quæ in Oratione Dominica continentur, ad spem pertinent. Sed utrumque objectum a Deo petendum et rogandum est; nam ex una quidem parte Christus precandi formulam septem petitionibus distinctam dedit et præcepit, illis Matth. 6. verbis: *Sic vos orabitis: Pater noster, qui es in cælis etc.* Unde S. Cyprianus. L. de Or. Dom. n. 2. eam ita necessariam dicit, *ut aliter orare quam docuit non ignorantia solum sit, sed et culpa*; et Aug. ep. 89 (al. 157. n. 2.) scribit: *Omnibus necessaria*

est Oratio Dominica, quam etiam ipsis arietibus gregis, id est, Apostolis suis Dominus dedit: ex altera vero parte constat, tam *primarium* quam *secundarium* spei objectum quoad bona naturalia non minus, quam supernaturalia *distincte* ac *determinate* postulari in divina illa precandi formula; ergo.

Conf. Nullum est spei objectum *particulare* et *distinctum*, de quo non habeantur exempla sanctorum tum V. tum N. T., qui illud a Deo vel postulaverint, vel postulare sint jussi aut moniti; *item*, Ecclesia in precibus suis publicis objecta spei tam universim quam *singillatim* ac *determinate* petit et orat; ergo.

237. *Obj. contra 1^{am}.* Vel sola beatitudo formalis debet dici objectum *primarium* et *immediatum* spei, vel simpliciter non potest dici objectum ut quod; ergo. *Prob. 1^a. p.* Ut aliquid sit objectum spei, debet esse futurum ac arduum; ut sit *immediatum*, nihil inter illud et actum spei mediare debet: sed hæc soli beatitudini formali conveniunt; quia beatitudo objectiva sive Deus non habet rationem futuri, inter eam autem et actum spei debet mediare beatitudo formalis, cum, hac mediante, spes respiciat beatitudinem objectivam tanquam terminum et ultimum finem; ergo. *Conf.* Objectum *gaudii* *immediatum* in patria et *desperationis* in via est sola visio; *timoris* objectum non est ipse Deus, sed malum, quod Deus infligit; ergo etiam objectum spei *immediatum* non est Deus, sed ejus possessio; quia vel actum sibi succedentium idem est objectum, vel contrariorum eadem ratio. *Prob. 2^a. p.* Solus Deus secundum se est summum bonum et finis ultimus; visio autem Dei est tantum *conditio sine qua non*, sicut cognitio rei amate in actu amoris; ergo solus Deus est objectum spei adæquatum, et beatitudo formalis saltem non potest esse objectum spei ut quod.

R. N. A. ad *prob. 1^{am}. p.* D. M. Debet esse futurum et arduum secundum se et entitatem N. secundum sui assecutionem et possessionem C. Licet aurum non sit de novo producendum, sed jam existat, tamen speratur ut obtinendum; *item*, ut objectum sit *immediatum*, inter illud et actum spei, nihil debet mediare ut quod C. ut quo N. Etiam oculus immediate dicitur videre, licet visio mediet ut quo.

Ad Conf. Quoad 1^{am}. R. N. A. Nam objectum *gaudii* est Deus ut possessus, quia sicut non sola possessio, sed etiam Deus est bonum, sic nec sola illa delectat; similiter etiam *desperatio* versatur circa Deum possidendum, quia est nolitio formalis vel virtualis Dei possidendi, quatenus boni ardui et impossibilis. Quoad 2^{am}. T. A. N. *Cons.* *Disparitas* est, quia Deus in se malus non est, adeoque objectum timoris aut tristitiæ esse nequit; ut tamen Deus, utpote bonum, spei objectum est: potest tamen Deus ut puniens apparere malus, licet reipsa malus non sit, atque hinc etiam esse objectum timoris et tristitiæ.

Ad prob. 2^{am}. p. R. D. Solus Deus secundum se est summum bonum absolutum et suum C. respectivum et nostrum, et fit tale sine visione seu beatitudine formali N. Visio est ipsa finis possessio, seu finis ultimus ut quo, qui respectu spei, quæ est actus quasi reflexus, se habet *ut quod*; atque ita etiam cognitio rei amate est objectum *partiale* amoris, si ipsa cognitio et objectum per aliam cognitionem proponatur ut bonum *cognitum* amabile.

238. *Obj. cont. 2^{am}.* Vel nulla bona temporalia, vel omnia sunt objectum spei; ergo. *Prob. 1^a. p.* Nihil est objectum spei, ex dictis in thesi, nisi quod vel est beatitudo nostra vel ad illam conducit: sed bona temporalia nec sunt beatitudo nostra, nec ad eam etiam conducunt; ergo. Adhæc spes, utpote virtus theologica, debet habere pro objecto materiali immediato aliquid divinum seu Deum. *Prob. 2^a. p.* Objecta quæcumque, licet non conducentia ad Deum, possunt esse materia fidei; ergo et quæcumque bona temporalia objectum materiale spei. Nonne actus, quo quis, v. g. sperat sanitatem, secundum se sumptam et a Deo conferendam ad intercessionem alicujus Sancti, est spes theologica, pro objecto habens omnipotentiam divinam auxiliatricem; ergo bonum temporale quodcumque seu non conducens ad beatitudinem potest esse spei objectum.

R. D. 2^{am}. p. min. Bona temporalia non conducunt directe, per se aut per modum meriti ad beatitudinem *C.* ne quidem indirecte, per accidens, aut per modum occasionis, vel materiæ etiam, in qua exerceatur virtus aut meritum *N.* Ex eo autem quod spes sit theologica, sequitur duntaxat, ejus objectum formale debere esse quid divinum, et materiale principale esse Deum; non vero quod nihil creatum possit obtinere locum materiæ immediate.

Ad prob. 2^{am}. p. R. N. Cons. Disparitas est, quia quodcumque creditur propter revelationem divinam, creditur propter motivum fidei proprium, adeoque est materia fidei; quando autem aliquid speratur sine relatione illius ad bonitatem Dei respectivam seu Deum possidendum, non amplius adest motivum specificativum fidei theologice; cum hoc partialiter situm sit in bonitate Dei respectiva. Atque hinc etiam colligi potest, cur non omnes fidei objectum primum et secundarium, sicut pro spe, statuant, quamvis concedant reliqua omnia ad unum Deum referri etiam in materia fidei posse. *Ad spem theologiam*, quæ essentialiter est desiderium, et ut desiderium pro motivo bonitatem divinam respectivam habet, actus ille ex dictis non pertinet, sed ad dilectionem propriam et fiduciam in Deum, quarum prima specificat actum in ratione virtutis moralis, cui æque ac aliis convenit posse efficaciter desiderare et sperare hunc actum et objectum: altera autem quamvis referat actum ad Deum, spem theologiam non constituit, cum non nisi inadæquatum spei motivum et se solo ad illam insufficiens importet.

239. *Obj. cont. 3^{am}.* Fides tria docet: primum, neminem salvandum, nisi sit prædestinatus: secundum, non omnes esse prædestinatos: tertium, neminem posse esse certum de sua prædestinatione sine speciali revelatione; ergo ut in hoc dubio voluntas humana sit divinæ conformis, non debet suam salutem absolute petere, sed conditionate duntaxat, si ita Deus decreverit, cæterum parata illa privari. *Conf.* Juxta Apost. ad Rom. 8. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*; ergo nihil determinate petendum aut sperandum est.

R. N. Cons. Incertitudo enim prædestinationis non debet extinguere aut suspendere nostræ salutis desiderium, cum Deus, quantum est ex parte sua, velit serio omnium salutem, regnum cælorum vim patitur, et violenti illud rapiant; culpa non prædestinatorum accidat, quod salutem non consequantur; quia nempe noluerunt illam adipisci, nec pro viribus et fervore debito

ad illam contenderunt. Quin excitari potius inde nostrum desiderium, discimus ex 2. Pet. 1. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* et ad Hebr. 12. *Contemplantur, ne quis desit gratiæ Dei.*

Ad Conf. R. D. A. Quid oremus, nescimus semper et quoad omnia *N.* nescimus aliquando et quoad singula *C.* Quæ enim supernaturalia sunt, petere semper possumus et debemus determinate et absolute, temporalia vero semper quidem conditionate et indeterminate, non vero priori modo petenda sunt, nisi Spiritus in et pro nobis postulet gemitibus inenarrabilibus.

Inst. Temporalia bona non possunt esse materia orationis; tum quia oratio est mentis ascensus ad Deum, appetitus vero temporalium est descensus ad inferiora: tum quia Orationis Dominicæ petitio quarta, quam nos circa victum et vestitum versari existimamus, ad panem spiritualem, testibus TERTULL. L. de Orat. c. 6., CYPR. L. de Orat. Dom. c. 18. et AUG. de serm. Dom. in monte, L. 2. c. 7. n. 27., spectat: tum quia, ubi Christus Matth. 6. nos jussit querere regnum Dei et justitiam ejus, nec sollicitos esse de necessariis ad vitam, juxta S. AUG. loc. cit. n. 25.: *Non ait utique, querite primum regnum Dei, et deinde ista querite; sed, hæc omnia, inquit, vobis apponentur, scilicet etiam non querentibus*: tum quia determinate saltem temporalia peti non possunt, sicut supernaturalia; ergo.

R. N. Ass. Ad prob. 1^{am}. *R. D.* Appetitus temporalium propter vitam æternam et tanquam mediorum quomodocumque ad illam conducentium est descensus ad inferiora *N.* temporalium propter seipsa appetitorum, ita ut in illis plane sistatur *C.*

Ad prob. 2^{am}. *R. D.* Orationis Dominicæ petitio quarta, imo et septima, pertinet ad panem spiritualem et bona superna, cum exclusione nostræ interpretationis de victu et vestitu, de malorum item temporalium diminutione aut depulsione *N.* sine tali exclusione *C.* fidem enim Patres sensum utriusque petitionis etiam temporalibus tribuunt, et pro sufficientia ad vitam præsentem liberationeque a pœnalitatibus hujus vitæ orandum statuunt.

Ad prob. 3^{am}. *R. D.* S. AUG. monet temporalia non esse querenda, excludendo sollicitudinem, qua avertamur a regni divini prosecutione, et desiderium, quo ferimur in bona temporalia unice propter se ac tanquam in finem ultimum *C.* excludendo omnem temporalium petitionem, ut conducentium ad salutem *N.* Vid. S. AUG. loco cit. c. 16. et 17.

Ad prob. 4^{am}. *R.* Discrimen inter utraque bona postulanda patet ex dictis: supernaturalia enim absolute petimus, quia non obsunt accepta, et præterea certi sumus, quod Deus paratus sit ea dare, cum toto corde quænaverimus: temporalia vero conditionate tantum postulamus, quia prodesse possunt et obesse.

240. *Observe.* Controversum est inter Auctores num et aliena beatitudo formalis possit esse objectum materiale spei theologice? Communior est, et probabilior videtur nobis sententia negativa, nisi aliena beatitudo intendatur ut ad propriam sperantis beatitudinem conducens, quam et amplectitur S. TH. p. 3. q. 7. a. 4. ad 2., et insinuat S. AUG. in Enchir. c. 8. præter alias inter fidem et spem distinctiones, hanc quoque asserens: *Spes autem non-*

nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium; qui earum spem gerere perhibetur. Ratio est, quia spes theologica est actus concupiscentiæ circa bonitatem divinam respectivam, ut ipsi concupiscenti bonam; tali autem actu quis non concupisceret beatitudinem ut sibi, sed ut alteri bonam; adeoque desiderium ejusmodi ad amorem benevolentiae vel amicitiae, non autem ad spem theologicam pertineret. Atque hinc quidem patet imprimis discrimen, cur eodem habitu *charitatis* amemus Deum, nos ipsos, et proximum propter Deum, utpote ubi semper pro objecto formali attingitur bonitas divina *absoluta*; quin tamen eodem spei habitu propriam et alienam beatitudinem sperare possimus, ob diversum scilicet motivum. Deinde vero constat, nonnisi *improprie* desperari de aliena salute; quia ejusmodi desperatio potius fiduciæ in Deum, quam spei theologicæ opponitur. Denique sequitur, desiderium salutis et erectionem animi ad fundendas preces non ex concupiscentiæ amore, sed ex benevolentia proficisci etiam in illo casu, quo Deus promitteret viatori sancto, intuitu ejus precum, a se alteri peccatori concedendam veniam et salutem.

ARTICULUS III.

QUODNAM SIT OBJECTUM FORMALE SPEI THEOLOGICÆ?

241. *Nota I.* Sunt qui simplex pro spe objectum formale statuunt, *arduitatem objecti sperati*; sed arduitas se habet ad spem, sicut obscuritas ad fidem: adeoque non est ratio motiva, sed modus duntaxat objecto inhærens ac proprius, potius sæpe retrahens a sperando. Alii *bonitatem Dei respectivam* statuunt; sed quamvis hæc bonitas ratio esse possit, cur rem quis cupiat; non tamen spei actus ultimato resolvitur in illam bonitatem, adeoque ratio formalis saltem adæquata non est. Nec felicius assignant alii *miseri cordiam* et *omnipotentiam* divinam; objectum enim ut possibile, sub qua ratione sperata res omnipotentiam connotat, voluntatem non allicit, sed ut bonum. Cum itaque ex his singulis nullum satisfaciatur, ac præterea actus spei, utpote vel formaliter vel æquivalenter triplex, possit ac debeat habere diversas rationes formales; cum communiori jam Theologorum pro singulis spei formalitatibus singula objecta formalia designatum imus.

242. *Nota II.* Juxta Theologos, absoluta et respectiva bonitas desumitur a diversa consideratione perfectionis in ordine ad subjecta, unde etiam diversus amor nascitur; atque hinc *absoluta* dicitur, qua aliquod ens in se bonum est, et in ordine ad se spectatur; ex quo amor æstimationis, benevolentiae ac amicitiae profluit: *respectiva* vocatur, qua ens alteri bonum est, et in ordine ad alios spectatur; ex quo oritur amor concupiscentiæ, prosecutionis ac desiderii: quia vero res alteri secundum diversa potest esse bona, atque hinc appetibilis, in bonitate Dei respectiva diversæ relationes attendi debent, inter quas pro ratione objecti spei primarii etiam primaria est, quæ in ordine ad visionem et amorem beatificum habetur; unde et nomine hujus bonitatis Dei respectivæ venit ejus possessio seu Deus possidendus, non præcise ut aliquod bonum creatum, sed ut donum Dei, prout nos uniens cum Deo, adeoque ut aliquod *moraliter* divinum. Similiter virtus Dei auxiliatrix non

dicit tantum omnipotentiam Dei et misericordiam, sed et auxilia ac media a Deo profecta et necessaria sive utilia ad consecutionem boni sperati.

243. *Dico I.* Objectum formale spei theologicæ, prout hæc dicit formalitatem desiderii, est *bonitas Dei respectiva*.

Prob. Prout spes dicit formalitatem desiderii, non tantum est actus virtutis theologicæ ad voluntatem spectantis, sed et amor concupiscentiæ. Atqui dum ut virtus voluntatis pro objecto habet bonitatem, ut theologica bonitatem divinam seu Deum qua bonum; debet ut amor concupiscentiæ pro motivo respicere *bonitatem Dei respectivam*; cum amor concupiscentiæ per hoc distinguatur ab amore æstimationis, benevolentiae ac amicitiae seu a charitate, quod ille feratur in bonum, prout amanti bonum est, non autem prout præcise bonum est in se et absolute; ergo.

Conf. Idem est objectum formale *gaudii*, quod est desiderii: sed objectum formale *gaudii* est divina bonitas respectiva sive Deus ut nobis per sui possessionem bonus; ergo idem etiam est objectum spei, prout formalitatem desiderii importat.

244. *Dico II.* Objectum formale spei theologicæ, prout hæc dicit formalitatem erectionis animi, est *virtus Dei auxiliatrix*.

Prob. Illud est objectum formale spei secundum hanc formalitatem, quod est ratio formalis et immediata, cur voluntas audeat contra difficultates conari, et earum sibi victoriam promittere; quia erectio ejusmodi est conatus quidam voluntatis ad superandas difficultates, cum exclusione desperationis ne illæ superentur: sed hæc ratio est virtus Dei auxiliatrix; tum quia hæc præstat ratione *omnipotentiae*, ut victoria difficultatum sit absolute possibilis, ratione *miseri cordiae* autem, ut illa etiam sit nobis proxime possibilis: tum quia interrogatus: cur quis speret beatitudinem obtentu quantumvis difficilem, seu contra difficultates animum erigat? respondet, quia Deus *potens* valet auxilium ferre, et *miseri cors* vult ferre, seu paratus est ad ferendum auxilium; sicut æger ad quæstionem, cur sanitatem vehementer afflictam reparandam nihilominus speret? reponit: quia præsto est medicus peritus et ad medicinam salubrem dandam paratus; ergo.

Conf. Scriptura sæpe proponit jam virtutem Dei auxiliatricem, jam singulas hujus virtutis partes, *miseri cordiam* nempe et *omnipotentiam*, tum ad contestandam tum ad excitandam spei erectionem, ut patet ex Ps. 17. 3. *Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum.* Genes. 15. 4. *Noli timere: Ego protector tuus, et merces tua magna nimis.* Ps. 12. 6. *Ego autem in misericordia tua speravi;* Quæ verba David Ps. 51. 10. repetit. Isa. 26. 4. *Sperastis in Domino Deo forti.* 2. Reg. 22. 3. *Deus fortis meus, sperabo in eum., etc.*

245. *Dico III.* Objectum formale spei theologicæ, prout hæc dicit fiduciam, est *fidelitas Dei in promissis*, vel omnipotentia ac misericordia Dei per promissionem obligata.

Prob. Motivum spei secundum hanc formalitatem est illud, quod datur pro ratione formali et immediata, cur confidamus bona sperata nos esse obtenturos: sed hæc ratio est Dei promittentis *fidelitas*; quia, supposito